

DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
DIFFERENTIA
ACTIONIS MEDICAMENTORVM
MEDICAE ET PHYSICAE

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS M^EDICAE
PRAE^SIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BVCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,
MEDICINA ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRAD^V DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS,
D. III. MAI^I A. S. R. C¹9^CCLIV.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
HENRICVS DE ROY
ALTONENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

EXCELSIOR TITULUS LIBRIS
DE
LIBERENTIA
ACGIONIS MEDICAMENTORUM
MEDICINA ET HIRSIAN

CONSERVA CLOACAM THERAPEUTICAE
PRESERVAT
HIC TRISTI POCULUS ET TINCTURA
DOMINO

DAM ET ALIA BENEFICIA
SACRA NOMINA IN HIC NODUS
POLEGISSE QD EQUARI ET A COSENZA DANTUR
MEDICINA THERAPEUTICA CONSERVAT
HIC TRISTI POCULUS ET TINCTURA

AB GRANDI DOCUMENTA
SALVATORIS IN MEDICINA ET TINCTURA
TINCTURA THERAPEUTICA
HIC TRISTI POCULUS ET TINCTURA

ALIA BENEFICIA
HIC TRISTI POCULUS ET TINCTURA

ALIA BENEFICIA
HIC TRISTI POCULUS ET TINCTURA

ALIA BENEFICIA
HIC TRISTI POCULUS ET TINCTURA

VIRO
GENEROZO, EXCELLENTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
GEORGIO CHRISTIANO
MATERNO
DE CILANO

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO FAMIGERATISSIMO,
PHILOSOPHIAE NATURALIS, MEDICINAE ET ANTIQVL-
TATVM GRAECARVM, ROMANARVMQVE IN ACADE-
MICQ GYMNASIO CHRISTIANAEO, QVOD ALTONAE
FLORET, PROFESSORI LONGE CELEBERRIMO,
ACADEMIAE CAESAR. NATVRAE CVRIOSOR. COLLEGAE
ET REGIAE HAFNIENSI SOCIETATI SCIENTIARVM
ADSCRIPTO DIGNISSIMO,

PATRONO AC FAVTORI SVO
OMNI PIETATIS CVLTIV PROSEQVENDO;



GEORGIO CHRISTIANO
OB INSIGNIA IN SE SVOSQUE
MERITA
AC SINGULAREM FAVOREM ET BENEFICIA
SIBI COLLATA
HAS QVALESCVNQVE PRIMITIAS
CVM VOTO OMNIGENAE FELICITATIS
OFFERT
SEQVE SIMVL ULTERIORI
EIVSDEM FAVORI
COMMENDAT
VCIENNAE CAESAR. NATALIE. CIRGOSOR. GOTTAGE
ET REGEN TALINIA. SOCIETATI SCIENTIARUM
DISCRIPTO DISCURSO
PATRONO AC FAVORI SVO
AVCTOR



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
DIFFERENTIA
ACTIONIS MEDICAMENTORVM
MEDICAE ET PHYSICAE.

PROOEMIVM.



Qui medicamentorum vim & operationem explicare, & ex abditis veluti latebris eruere conati sunt, ii in eo potissimum errarunt ut plurimum, quod actiones medicamentorum physicas vel plane neglexerint, vel non satis tamen accurate distinxerint ab iis viribus compositis, quas *medicas*, ob peculiarem in corpus nostrum actionem, vocare consuevimus. Factum hinc

A 3 est,

est, ut ea inter se confundentes, quae maxima sollicitudine & cura distingui deberent, tenebras potius & umbras inferrent huic doctrinae, quam lucem. Cum vero omnino philosophicam cognitionem, uti de reliquis rebus medicis, ita de hac quoque medicinae parte, quae de actione medicamentorum exponit, sibi acquirere debeat is, qui solidam doctrinam sibi comparare cupit: haec vero distinctos clarosque, quantum fieri potest, requirat conceptus; necessarium utique erit, ut accurate haec omnia distinguamus & sigillatim explicemus. Et eo sane utilior est haecce disquisitio, quo certius est, saepissime exprobrari Medicis, quod causas & rationem actionis medicamentorum perquam obscure & confuse explicare soleant. Operae itaque premium facturum me iudicavi, si in physicam & medicam operationem & actionem medicamentorum peculiari haccce Dissertatione inquirerem, eorundemque demonstrarem differentiam. Neque existimo tritum atque vulgare me summissè tractationis meae argumentum, cum, quantum scio, nemo adhuc

huc differentiam hanc in academica Differ-
tatione speciatim exposuerit. Versabor au-
tem circa hanc rem ita, ut *prima Sectione*
medicam actionem medicamentorum ex-
plicem: *secunda physicam demonstrem*, &
tandem tertia differentiam utrorumque in-
de deducam. Adnuat supremum, quod
cuncta regit, Numen laboribus hisce & mea
qualiacunque conamina felici successu se-
cundet.

SECTIO I.

SISTENS

MEDICAMENTORVM ACTIONEM
MEDICAM.

Si corpus aliquod A mutetur, & hu-
ius mutationis ratio posita sit in
alio corpore B, dicimus B agere in
A, & ratio sufficiens huius muta-
tionis audit vis.

Scholium. Animadvertisimus calorem excitari in cor-
pore nostro, ab aëre calido, a radiis solaribus aliis-
que corporibus: hinc dicimus corpora haec agere
in corpus nostrum, & solem vi quadam gaudere.

§. II.

8 *De differentia actionis medicamentorum*

§. II.

Experientia quotidiana testatur, varia corpora, vel externe corpori nostro applicata, vel interne assumta, mutationes in eodem producere: hinc concludimus haec corpora in nos agere (§. I.). Eminent inter haec ea, quae ideo vel assumuntur ore, vel externe applicantur, ut amissa sanitas possit restitui, & haec vocamus *medicamenta*. Patet itaque medicamenta in corpus nostrum agere.

§. III.

Constat porro experientia quotidiana, non unam esse eandemque medicamentorum vim, sed quaedam in ventriculum potissimum & intestina agere, vomitum movere, vel alvum ducere; alia vero ad sanguinem deferri, & sic humoribus reliquis admisceri, ad varias corporis partes deduci, & modo urinam, modo sudorem, modo salivam movere, vel alios edere effectus.

§. IV.

Diversos hosce effectus si consideramus, facile apparet, eorundem caussam positam esse vel in ipsis medicamentis, vel in corporibus in quae agunt. Utrumque confirmat experientia. Quod Caio dedisti laxans, alvum vix movet Titio, Sempronio vero non alvum modo ducet, sed & vomitum efficiet: nullam certe aliam ob rationem, quam quia fibrae Sempronii sensibiliores sunt fibris Titii, & hae minus sensibiles fibris Caii. Differt itaque medicamenti operatio ob diversam corporum constitutionem.

Sed

Observamus autem praeterea quaedam medicamenta constantem aliquem effectum exserere, si modo caute ac circumspecte exhibeantur. Sic resina Gia-lappae semper purgantem vim demonstrabit, si modo corporum in determinanda dosi habeatur ratio, & reliquae simul attendantur circumstantiae. Fieri enim potest, ut aliquando haecce resina laxantem & purgantem suam vim non exserat, sed tunc certe vel in determinanda dosi erravit Medicus, vel viscida in primis viis haerens faburra actionem medicamenti impedit, quae certissime producetur autem dosi, vel inciso tenaci muco. Quod primam diversae huius actionis caussam attinet, quae a subiectorum diversa dependet constitutione, ea hic attentionem nostram & ubiorem explanationem non meretur. Altera vero paullo curatius est perpendenda.

§. V.

Si enim diversi effectus caussa sit in ipsis medicamentis, tunc ratio quaedam adesse debet, e qua intelligi ipsa diversitas possit. Caussa mutationis dicitur vis (§. I.); hinc concludimus, varia medicamenta variis quoque praedita esse viribus.

§. VI.

Si vires corporum considerabimus, animadvertemus, eas esse vel *simplices*, vel *compositas*. Simplices deprehendimus in cohaesione, attractione & similibus, infra §. XX. ulterius demonstrandis; compositas in magnetismo, electricitate, similibus. Simplices

plices scilicet *vires* eae sunt, quae resolvi in alias non possunt. Ad has si phaenomena reducantur, perfecte resoluta sunt, neque maiori luce indigent. *Compositae* e contrario dicuntur, quae resolvi adhuc possunt, uti v. g. si vis nitri explosiva derivetur a particulis aqueis, in nitro contentis, & certo adhibito ignis gradu magna vi dissilientibus.

§. VII.

Compositae vires corporum dupli modo possunt considerari: Vel enim per se eas consideramus, vel in quantum agunt in corpus nostrum. Sic nitri virtutes explicaturus vel explodentem eius vim exponit, vel eam qua sanguinem fundit, & spasmos in corpore nostro tollit. Posterior vel in iis corporibus demonstratur, quae *medicamenta* appellamus (§. II.), vel in aliis quibuscumque. Si prius deniq; vel ex simplicibus legibus physicis eruitur, vel ex iis tantum legibus, quas observatio in corpore nostro ut veras demonstravit, tunc *vis* dicitur *medica*, & vis huius actio, sive applicatio, *actio corporis medica*.

Scholium I. Probe haec omnia sunt distinguenda, ne error oriatur & confusio. Sic si gladio corpus transfixeris, corpus murabitur, & huius mutationis causa posita est in ipso ense, eius duritie, figura & similibus. Adeoque gladius gaudebit vi. Verum in corpus quoque humanum agit, & videri adeo posset, pertinere hanc vim ad forum medicum. Hic facile adparet, gladium non pertinere ad medicamenta, hinc eius vim & actionem non posse dici medicam,

dicam, licet agat in corpus nostrum & mutationes
in eodem producat.

Scholium II. Dantur vires & leges physicae compositae, sola observatione notae, neque perfecte adhuc ex simplicibus physicis legibus explicabiles, uti electricitas ac magnetismus. Hae probe distinguendae sunt a viribus medicis, quae quidem eodem modo per observationem stabilitae sunt, sed tantum in corpore nostro se se exserunt, uti v.g. virtus inebrians vaporosorum.

§. VIII.

Ut vero eo curatius hasce vires determinemus & illustremus, respiciendum nobis est ad varias corporum mixtiones. Ea enim corpora, quae *medicamentorum* nomine insignimus, non sunt simplicia, sed ex aliis composita atque conflata. Sic si cinnabarim consideremus, ea ex sulphure componitur & mercurio; sulphur denuo ex acido & phlogisto; phlogiston ex elementari igne, terrestrium subtiliorum particulis circumdato & veluti inclusio. Antimonium diaphoreticum ex regulinis antimonii particulis & alcalina terra nitri componitur, & idem de reliquis medicamentis omnibus tenendum est.

Scholium. Videri equidem posset, quaedam medicamenta simplicia esse & non componi ex aliis. Sic aqua, in quantum peregrina corpuscula admixta non habet, simplex videtur esse fluidum. Et haec tamen, dum sanguinem diluit, fibras relaxat, aliasque in corpore humano producit mutationes, medico

12 *De differentia actionis medicamentorum*

scopo exhibetur. Idem valet de mercurio crudo, qui simplex esse videtur corpus, & tamen non modo anthelmintico scopo exhibetur, sed & egregium in iliaca passione praefstat usum. Ad haec respondemus, aquam magis diaetetice, quam medice exhiberi, adeoque non magis esse medicamentum, quam vinum & panem. De mercurio vero nondum perfecte constare, an ad simplicia corpora sit referendus, an vero ad composita.

§. IX.

Talia composita corpora si agant, eorundem actio vel dependet a qualibet particula constitutente per se, vel in quantum hae partes coniunctae totum aliquid constituant. Quaedam enim corpora, dum inter se coniunguntur, retinent vim & actionem in compositione eodem modo, quo antea. Alia vero, dum inter se coniunguntur, novas velut vires acquirunt, & effectus edunt a singulari sua vi longe diversos. Si pulverem compones e lapidibus cancerorum & salibus digestivis mediis, habebis medicamentum absorbens simul ac incidens. Lapidem enim cancerorum acidum in primis viis aggredientur, salia tenacem mucum. Si vero mercurium vivum terendo cum sulphure in pulverem nigrum redigas, quem *Aethiopem* dicimus *mineralēm*, medicamentum habes egregie resolvens, cuius actio neque e mercurio solo, neque e sulphure determinari potest, sed ex coniunctis demum amborum viribus. Idem in saccharo animadvertere licet, quod ex accido

do & terra mucilaginosa componitur, sed cuius sapor dulcis est, & actio adeo neque ex acido solo, neque e sola mucilage determinari potest. Neque id mirum videri debet. Actio enim corporum arte inter se connexorum ex parte se destruit, & sic mutatur. Memorabile huius rei exemplum habemus in pulvere pyrio vulgari. Componitur hic pulvis, uti in vulgus notum est, e nitro, sulphure & carbonibus. Effectus huius pulveris componitur e coniuncta actione horum corporum, siquidem neque nitrum, neque sulphur, neque carbones per se tam cito inflammari, tantaque vehementia explosi possent. Dum vero intime inter se mixta sunt & coniuncta, mirum non est, incensos a scintilla carbones ignem sulphuri communicare, quod in flamمام erumpit, & nitro eum subito conciliat caloris gradum, qui ad explosionem requiritur.

§. X.

E generalioribus, quae hic disputavimus, concludi facile potest, actionem medicamentorum medicam eodem modo, tam ex partibus constituentibus per se, quam ex eorundem nexus & coniuncta vi esse determinandam. Si nempe arctus non fuerit nexus partium, ita ut libere agere partes constituentes possint, neque unius partis actio alteram impedit, quaelibet particula constitutiva per se poterit considerari. Si vero arctior fuerit partium nexus, determinanda est actio composita ex actionibus particularum simul sumitis.

B 3

Scholium.

14 *De differentia actionis medicamentorum*

Scholium. Dici vix potest, quam utilis haec regula sit
iis, qui vel nova medicamenta invenire cupiunt, vel
ex simplicioribus alia componunt. Promittunt hi
sibi effectum ex pluribus simplicibus, qui tamen ob
nexum particularum saepe revera longe alias est.
Terribilis videri posset effectus sublimati mercurii,
licet novae accesserint mercurii vivi partes, & ab-
sque noxa tamen adsumitur in sic dicto mercurio dul-
ci. Pertinet huc quoque notissimum experimen-
tum, mutationes nempe salium acidorum & alcalino-
rum in neutra seu media, quorum effectus, licet par-
tes constitutivae revera sint acidae & alcalinae, de-
terminari neque ex natura acidi, neque ex natura al-
calini salis potest.

§. XI.

Haec omnia si accurate pensitemus, facile con-
cludi poterit, quid ad determinationem actionis me-
dicamentorum medicae requiratur. *Primo* nempe
cognita nobis esse debet actio quaedam simplex &
universalis earum partium, e quibus medicamentum
aliquid componitur. Sunt vero hae actiones potis-
simum, si solidas partes spectemus, 1) *stimulatio*, quae
est ea actio, qua augetur fibrarum contractio, ob
sensationem quandam in ea excitatam ab ipso medica-
mento. Hoc modo agunt *salia media* in primas &
secundas vias. Eodem modo *subtilia* agunt *olea*,
quibus iunctum est volatile aliud salinum princi-
pium. Similiter agunt reliqua *salia acria*, qualia in
cantharidibus, in causticis ac acribus medicamentis
depre-

deprehendimus. Pertinent quoque ad hanc classem *resinæ* quaedam, quae pertinaciter fibris adhaerentes stimulum producunt. Porro *metallica* salibus iuncta, sive ea acida fuerint, sive alcalina, uti vide re est in praeparatis e mercurio, argento aliisque. Neque ultimo loco hic nominanda est subtilis illa atque volatilis *materia semi-metallica*, quam *arsenicalēm* vulgo dicimus, quae semi-metalla armat, quaeque in regulo antimonii indeque paratis medicamentis, in arsenico aliisque similibus corporibus, per vehementes spasmos inde excitatos se manifestat.

§. XII.

2) Altera actio est *relaxatio*, quae est ea medicamenti actio, qua minuitur fibrae rigiditas & spasmus. Efficient hoc ea omnia, quae minuant *sensationes indeque pendentes motus*. Obtinetur hoc per *anodyna*, *narcotica* & *antispasmodica*. Sic ab opio, indeque paratis medicamentis, a nitro similibusque relaxantur partes rigidae atque contraetiae. Idem imperatur per ea, quae pingui gaudent mucilagine, quibus obducuntur fibrae, & sic minus fiunt sensibiles. Tale principium non in vegetabili saltem regno, in radicibus altheae, liquiritiae, herba malvae, floribus meliloti, semine lini, oleis expressis, amygdalarum, lini, olivarum, sicubus, aliisque similibus, animadvertisit; sed & in animali regno, in ossibus & carnis animalium, in primis carne vitulina, caponibus, pullis, viperis, in cornu cervi aliisque deprehenditur.

§. XIII.

§. XIII.

Si vero *fluidas* partes spe&temus, quaedam medicamenta 1) augent fluiditatem sive *resolvunt*. Hoc vero denuo dupli modo fit, dum nempe vel *stimulantur* & ad contractionem maiorem sollicitantur *solida*, unde fluidorum augetur motus progressivus, a quo eorundem resolutio pendet, id quod ad §. antec. num. I. pertinet; vel *immediate*, ob certam medicamentorum vim in fluida, haec *fluidiora* fiunt. Animadvertisimus talem vim inesse nitro, opio, sapo-nibus similibusque corporibus, in genere vero iis omnibus, quae vel e sale quodam medio, facile solubili, composita sunt, vel e subtili quodam sapone. 2) Alia deinde medicamenta fluiditatem minuunt, sive *inspissant*. Fit hoc vel *minuendo solidorum motum*, a quo fluidorum dependebat resolutio; vel *augendo se- & excretiones*, ut consumtis fluidissimis partibus crassiores remaneant, & fluida sic inspissentur; vel *immediata* quadam in fluida *actione*. Haec denuo dupli modo considerari potest, dum nempe vel *crassiores partes* & magis inter se cohaerentes *ad sanguinem deducuntur*, quod fit assumitis multis gelatinis, infusionis theiformibus & mucilaginosis vegetabilibus, decoctis gelatinosis ex animali regno, & aliis similibus; vel immediata quadam actione in ipsis minimis fluidi partes *cobaejo partium fluidi* eiusque adeo spissitudo *augetur*, uti hoc ab acidis fit mineralibus, oleo & spiritu vitrioli, spirituofisque ad sanguinem immediate delatis. 3) Alia tandem medicamenta quasdam determinatas tantum aggre-diuntur

diuntur partes, in iisque quoad fluiditatem quidem nihil mutant, sed aliam tamen ipsis induunt natu-
ram, eaque alterant. Sic absorbentia, acidum in
ventriculo & primis viis aggrediendo, eius vim aci-
dam infringunt & mutant. Sic acida alterant flu-
ida, dum alcalefscens in iis principium aggrediuntur,
& dum calorem nimium minuunt.

§. XIV.

Ex hisce universalibus actionibus deduci reli-
quae compositae facile possunt. Sic *incidentia* ordi-
narie agunt, tum stimulando solida, tum resolvendo
aut alterando fluida. *Emollientia* agunt relaxando
solida, & diluendo stagnantes fluidas partes. *Robo-
rantia* leniori stimulo sensationem in partibus effici-
unt, & fluidi nervei adfluxum promovent. *Absor-
bentia* agunt alterando acidum. *Temperantia* deni-
que tum relaxando solida & sic motum eorundem
cum dependente inde motu fluidorum minuendo,
tum diluendo fluida, vel quoque alcalinas & phlogisti-
cas partes dissipando & mutando operationem suam
absolvunt. *Evacuantia* vero ut plurimum agunt, vel
stimulando solida, irritando ventriculum, intestina,
tunicas denique sanguiferorum vasorum, vel resolvendo
fluida, serum in primis & lympham, & sic eo-
rundem secretionem augendo. Reliqua specifica
ex his expositis viribus componuntur, quorum re-
cisionem uberiorem exhibit Illustris DN. PRAESES
in *Therapia generali Sect. II. Cap. VIII. p. 201. seq.*

C

§. XV.

§. XV.

Secundo ea quoque perspecta nobis esse debent, quae ex compositione plurium simplicium & coniunctis eorum viribus sequuntur. Sic non acidi modo & alcalini salis actiones intelligere debemus, sed & eas, quae per sal medium, ex utriusque coniunctione ortum, possibles sunt. Eodem modo ea, quae coniunctione sua volatilia aut virulenta fiunt, similiaque perspecta sint oportet.

§. XVI.

Si iam determinanda sit actio medicamenti cuiusdam medica, facile intelligitur, inquirendum esse, 1) an simplex sit, an vero compositum. Si simplex, 2) an in solidas, an in fluidas partes agat, & ad qualem actionum §. XI. XII. & XIII. expositarum pertineat. Si compositum fuerit, tunc 3) inquirendum, an partes constitutivae se in actione sua impedian, an minus, & circa utrumque denuo 4) determinandum, ad qualem classem actionum referri hae debeat.

*In **Scobolum**. Nonnunquam attendendum est, an exhibita medicamenta certo modo mutentur in corpore humano. Sic cretacea, ob acidum in hypochondriacis, aluminosam acquirunt indolem & adstringunt; solidabsorbentia teneriora, acido tali iuncta, salis medii naturam induunt, & stimulando aperiunt; oleosa rancida fiunt & acrimoniam induunt noxiā. Quum vero hoc non pertineat ad actionem medicamentorum per se, sed in quantum ab humano corpore determini-*

terminatur, ad nostrum institutum haec non aequem
referenda sunt, & hinc ulteriori inquisitione non in-
digerent.

§. XVII.

Ut autem hoc exemplo quodam illustremus,
quo eo rectius intelligi ac demonstrari queant, po-
namus rhabarbari vim laxantem medice esse expli-
candam. Hic facile animadvertisimus, ex chemicco-
pharmacoeuticis experimentis, rhabarbari vires com-
poni ex actione gummeo-resinosarum & salinarum
particularum. Docet enim rhabarbari analysis, con-
stare hoc vegetabile ex salino principio, cui gummeo-
resinosaes partes, una cum inertis quadam terra, iun-
guntur. Vid. Excell. CARTHEUSERI *Mater. med.*
Part. I. Sect. X. p. 516. Iam facile intelligitur, inertem
terram parum ad actionem rhabarbari conferre,
adeoque reliqua ex resinosa ac salina parte esse de-
monstranda. Utrumque vero est stimulans (§. XI.
n. I.) &, si humoribus corporis nostri admisceatur,
resolvens (§. XII.). Patet itaque, rhabarbari actio-
nem purgantem dependere a resolutione humorum
& stimulo in intestinis, quo resoluta fluida magis
versus intestina derivantur, hinc excrementa fluida
fiunt & alvus ducitur. Cum vero lenior stimulus
partes simul roboret (§. XIV.), & resinosaes partes
per gummeas & terrestres in actione sua impedian-
tur, ne nimis & impetuose irritent, facile hinc in-
telligitur, quare rhabarbaro lenis partium tribuatur
roboratio.

SECTIO II.
SISTENSMEDICAMENTORVM ACTIONEM
PHYSICAM.

§. XVIII.

Si actio medicamenti cuiusdam ex simplicibus & compositis legibus physicis determinatur, & simul demonstratur quomodo ea per has leges sit possibilis, tunc actio ipsa, in quantum sic determinatur, dicitur *physica*, vis autem e qua eius possibilitas demonstrari potest, *vis physica*.

§. XIX.

Vires physicae vel ab aliis non amplius pendent, nec resolvi in alias possunt, & haec dicuntur *simplices*: vel pendent ab aliis in quas resolvi possunt, & tunc *compositae* audiunt.

§. XX.

Ad simplices vires referimus, *duritatem*, *gravitatem*, *attractionem*, *adhaesionem*, *repulsionem physicam*, quallem in elementaribus particulis elasticorum fluidorum animadvertisimus, *inertiam*, & *figurae*, ad motus & vim determinandam, *aptitudinem*. Ad compositas *elasticitatem*, *electricitatem*, *magnetismum*, *sensibilitatem*, *irritabilitatem*, *vegetationem*, &c. si dicere licet, eam vim, qua minima corpuscula organica evolvuntur, quae rectius quoque, quam quidem ab antiquis Philosophis factum est, *vis plastica* dici potest.

Scholium.

Scholium I. Mirum forte quibusdam videbitur, nos inter vires physicas quoque referre figurae ad vim determinandam aptitudinem. Verum mirari desinent, si consideraverint, ex aptitudine figurae ad determinationem virium pendere varias mutationes; hinc rationem harum mutationum ex ea petendam esse. Illud vero, ex quo ratio mutationis deducitur, vis adpellatur (§. I.): hinc aptitudo haec erit vis. Cuneus sola sua figura efficit ut vis fortius agat, quod fieri non potuisset sub cylindrica eius figura.

Scholium II. Solent quidam vires hasce distinguere in *mechanicas & physicas*, ita ut mechanicae vires eae sint, quae a gravitate, elasticitate, duritate ac mutatione figurae dependent, physicae vero sint adhaesio, attractio, similes. Neque ea distinctione frivola est, cum mechanicae dictae vires in Mechanica adhibentur, physicae in Physica demum demonstrantur. Verum notandum est, omnes hasce vires generali sensu physicas dici posse, si illud est physicum, quod circa corpora demonstratur, adeoque exinde adparet distinctionem adductam esse tantum specialem subdivisionem.

§. XXI.

Vires physicae compositae non sunt universales, uti simplices, sed quibusdam corporibus proprias ac peculiares, e quorum figura nempe & reliquis determinationibus ipsae pendent. Sic non omnia corpora elastica sunt, neque electrica omnia,

C 3

neque

22 *De differentia actionis medicamentorum*

neque vegetationis capacia sunt, neque se attrahunt
instar magnetis.

§. XXII.

Inter haec vires duae sunt, quae, cum organi-
cis potissimum corporibus sint familiares, ad expli-
candas actiones in corporibus vivis commode pos-
sunt adhiberi. Observamus nempe, eas corporum
organicorum partes, quae *nervi* dicuntur, *sensibili-*
tate praeditas esse, hoc est, eas certo modo connexas
esse cum principio quadam immateriali, a cuius mu-
tationibus mutantur, & in quo ipsae mutatae varias
producunt mutationes; alias vero partes, musculo-
fas in primis, esse irritabiles, hoc est, ex contactu cum
aliis corporibus motus in iis excitari certis legibus
adscriptos.

§. XXIII.

Cum medicamenta omnia sint corpora (§. II.),
sequitur ut vires eorumdem simplicissimae, indeque
pendentes actiones, convenient cum reliquorum
corporum viribus universalibus. Hinc omnium
medicamentorum ultimae partes constitutivae erunt
durae, attrahent se, graves erunt, cohaerebunt cum
aliis corporibus, & his similes exferent actiones.
Respi ci itaque potest in determinatione actionis
omnium medicamentorum physicae ad has vires
simplices & ultimas. Et si quae actio medicamenti
medica determinari possit ex cohesione medicamen-
ti vel cum fibris corporis nostri, vel cum parti-
culis minimis fluidis, ea hoc modo physice poterit
explicari.

§. XXIV.

§. XXIV.

Haec vero non ita sunt intelligenda, ac si omnia phaenomena medicamentorum, omnesque eorum in corpore nostro actiones demonstrari possint ex unaquaque harum virium simplicium, ita ut e.g. assumta lege universali physica, adhaesione, attractione, duritie, vel alia quacunque, omnes actiones ex hac adhaesione similiique lege possint demonstrari. Docemur enim in naturali philosophia, universales etiam physicas leges per singulares circumstantias ita determinari, ut vel agere plane nequeant, vel eorum tamen actio per concurrentem oppositam quandam actionem ita tollatur, ut plane videatur abesse. Sic attrahunt se quidem omnes materiae partes & inter se cohaerent, & tamen mercurii particulae cohaerere non videntur cum margine vasis specificie levioris, quin contraria potius videatur adesse actio: Fugiunt nempe & veluti repelluntur mercurii partes a margine vasis. Idem continet in vase ligneo vel metallico, semine Lycopodii obdueto, infusa aqua: Tantum enim abest ut accedit aqua ad marginem & circa eum attracta elevertur, ut potius recedat ab eodem, ibique depresso veluti foveam monstret. Infinita hic adduci possent ex physicis exempla, si instituti nostri id permitteret ratio. Non perinde itaque est, qualem assumas physicam legem, sed ponderandæ semper sunt circumstantiae, quaenam speciatim per reliquas circumstantias ac reliquorum corporum actiones assumi possit.

§. XXV.

§. XXV.

Mirum sane est, quantum hac in re erraverint sagacissimi alias ac eruditissimi viri. Cum enim animadverterent, quod ex mechanicis & physicis legibus medicamentorum actiones possint explicari, unam aliquam physicam legem assumere, e qua de in omnia phaenomena deducere, invita licet Minerva, conati sunt. Sic cum superiori seculo CARTESSII affeciae ex impulsu solo & vi mechanica, a figura corporum dependente, varias produci mutationes deprehenderent, subita eos invasit libido, omnia e figura & motu particularum explicare. Hinc stimulum ex acuminata figura, obtusam sensationem a rotunditate deduxerunt, actionem medicamenti in hanc vel illam corporis partem e peculiari convenientia figurae minimarum partium cum figura pororum demonstrarunt. Verum circumstantias si ponderassent boni hi viri, facile animadvertisserent, abesse in his partibus vim illam, quae in mechanicis requiritur, insimulque deficere tam in corpore humano, quam in aliis hosce figuratos poros, ac particulas iis respondentes.

§. XXVI.

Circa ipsam physicam vero actionem medicamentorum animadvertisimus, ea vel in *solida* agere, vel in *fluida*. Si 1) in solida agunt, hoc ut plurimum fit a) *impulsu* sive ipsa sua *duritie*. Sic metallicae partes solutae, fluidis mixtae, per vasa corporis propriae, dum impelluntur vi cordis ac arteriarum, agunt in latera vasorum sola sua duritie; b) *gravitate*

vitate tam *absoluta*, quam *specificata*. Absoluta gravitate agit assūtus mercurius vivus, premens excrementa, & pondere proprio ea propellens. Specifica gravitate sua agunt metallicae particulae tincturam metallicarum. Imo fere nullum est medicamenti genus, in quo, reliquis circumstantiis non negligitis, ad specificam gravitatem non sit respicendum, cum adhaesio aucta, vel imminuta, ut plurimum ab hac dependeat. c) *Adhaesione & attractione*, ubi animadvertisimus, salia, resinosa corpuscula, metallicas particulas similesque, sub contactu fibrarum cum iisdem cohaerere, & ab hac cohaesione maiori vel minori sensationem dependere & irritatem, quam in minimis fibrillis exercent. Et hic de novo sequentes observamus regulas: Salia pro gradu subtilitatis suae magis vel minus cohaerent cum fibrillis corporis nostri, hinc maiorem quoque vel minorem efficiunt sensationem. Sic media salia minus ordinarie adhaerent fibrillis, quam alcalina & acida, & fixiora minus quam volatilia. Cohesio salium per se minor est, quam si iuncti fuerint metallicis corpusculis. Metallicae enim particulae cum sint specificae graviores, fortius cohaerere debent (per princ. physic.): hinc & salia his iuncta fortius cohaerent. Patet inde, quare exigua portio acidi salis vehementes excitare queat motus, si graviori metallo iungatur, uti hoc in mercurio sublimato & dulci, itemque in auro fulminante animadvertisimus. Dum enim adhaerer aquae regiae particula auri particulae, haec vero ob specificam gravitatem fortius cohæ-

D

cohæ-

26 *De differentia actionis medicamentorum*

cohaeret cum fibrilla quadam corporis, actio huius
falis, quae absque auro valde foret exigua, iam to-
ta & per notabile tempus determinatur versus exi-
guam hancce fibrillam, hinc eam irritat, sensationem
notabilem in ea efficit, & motum sic excitat huic sen-
sationi proportionatum. Cohæsio oleosarum & le-
viorum sulphurearum partium ordinarie minor est
cum fibris corporis nostri, quam salinarum &
metallicarum partium. Hinc pingues, gelatinosæ ac
oleosæ partes cohaesionem aliorum corporisculorum
cum fibris corporis nostri quoque minuant, & vim
eorundem infringunt. Fit inde, ut emeticorum &
purgantium virtus imminuat, exhibitis oleosis &
pinguis. Sed paucae plagulae hic minime suffi-
cient, si omnia, quae de adhaesione medicamento-
rum, & inde pendente actione eorundem exponi
possunt, proferre vellemus. Sufficient ergo haec
speciminis loco.

§. XXVII.

Si 2) medicamenta physice agunt in *fluida* cor-
poris nostri, tunc denuo agunt a) per *impulsum* sive
duritatem & gravitatem. Dum nempe graviores
medicamentorum particulae vi cordis propelluntur
per vasa sanguifera, impellunt obvias sibi fluidorum
particulas, crassiores sibi cohaerentes dispellunt, &
sic fluida *resolvunt*. Oportet ut hic respiciamus ad
legem physicam motus corporum. Novimus enim
vim corporum eo esse maiorem, quo maior est eo-
rundem massa (per princ. phys.): haec vero eo ma-
ior est, quo specificè sunt graviora, respectu scilicet
habito

habito ad aequalia volumina. Iam si medicamenti particula quaedam specifica sit gravior sanguine, sub aequali cordis impulsu plus virium accipiet, hinc celerius movebitur. Assequetur ergo sanguinis praecedentes partes, eas cohaerentes dispellet & protruget ad latera. Si vero cedunt ad latera fluidissimae partes, facile vasa ingredientur lateralia. Hic ingressus in vasa lateralia augebit secretiones; hinc talia medicamenta augebunt secretiones sudoris, perspirationis, urinae, similes. b) Per adhaesio-nem cum partibus fluidi, unde eorum cohaesio inter se vel augetur, vel minuitur, prout nempe gravitas harum particularum specifica vel maior vel minor est. Si enim major sit specifica gravitas, cohaesio partium augetur inter se ob auctiora puncta contactus; si minor, minuitur, ob contactum imminutum. Non solum autem gravitas haec sola maiorem efficiet cohaesionem, sed ipsa quoque minimarum partium figura aliquid hic efficere valet. Pro diversitate enim figurae contactum augeri vel minui, notum est ex physicis. Hoc ideo notandum erit, ne ex cohaesione maiori semper concludamus certo ad specificam gravitatem. Fit inde, ut partes, quae parum gravitate superant sanguinem, augere tamen possint eius cohaesione. Hoc modo agere videmus acida mineralia, ut & crassiorem terram quorundam vegetabilium. Minuant vero sanguinis cohaesione, sola actione in fluida, salia media, in primis nitrum, salia alcalina, omnia saponiformia, opium, camphora, salia volatilia, & similia, quae ob

D 2

subti-

subtilitatem partium se in interstitia partium sanguinis insinuant, & cum leviora sint sanguine, minorem efficiunt sanguinis contactum.

§. XXVIII.

Si iam determinanda sit actio quaedam medicamenti physica, determinanda *primo* est actio eiusdem medica. Inquirendum itaque an *resolvat*, an vero *inspisset* fluida, an solida *stimulet* aut *relaxet*. *Deinde* partes medicamenti constitutivae sunt demonstrandae, an ex resinosis, salinis, terreis, metallicis particulis compositum sit. Tandem *tertio* inquirendum est, quales physicis vires possideant hae partes constitutivae. Hic considerandum, an adhaerent solidis fortius, an augeant vel minuant fluidorum cohaesionem, paucis ea omnia quae §. XXVI. & XXVII. dicta fuere. In omni hac explicatione numquam negligenda est cautio, quae in physicis quoque aliorum phaenomenorum explicationibus follicite semper est observanda. Numquam scilicet nimis indulgendum est speculationibus, sed semper respiciendum est ad experientiam, fidam certe rerum magistram. Sed neque illud negligendum est, quod supra de medica actione medicamentorum monuimus. Respiciendum nempe est, an vis ea, quae in corpore adest, sola adsit, an vero aliis iuncta sit, quorum actio alterius impedit actio actionem. Deinde probe quoque tenendum est, ad actionem omnium vim certam quandam externam requiri sub certa determinatione, qua absente ipsa actio adesse negquit.

quit. Sic cuneus non aget, nisi vis adsit eum impellens; duo corpora non cohaerebunt, nisi remotae sint sordes contactum impedientes.

SECTIO III.

SISTENS

DIFFERENTIAM ACTIONIS MEDICAMENTORVM MEDI- CAE ET PHYSICAE.

§. XXIX.

Exposita sic carptim strictimque tam medica, quam physica medicamentorum actione, iam utriusque differentiam facile demonstrabimus. Differt vero actionis medicamentorum consideratio medica a physica, *primo quoad materiam*. Medicus, in quantum est Medicus, in explicandis actionibus medicamentorum nihil supponit, nisi fidam observationem earum mutationum, quae in humano corpore, vel in corpore aliorum animalium, a partibus medicamentorum simplicibus vel compositis producuntur. Sic si experientia propria vel aliorum edocetus fuerit, acida salia, metallicis particulis adhaerentia, stimulare: rationaliter exponet actionem mercurii dulcis e stimulo acidi salis, adhaerentis particulis mercurii vivi. Si iam animadvertisse aeris emesin movere & idem a tartaro emeticum fieri, facile concludet, sal cupri particulis adhaerens, vel iunctum partibus regulinis, stimulare fibrillas ventriculi, sive vomitum producere.

D 3

§. XXX.

§. XXX.

In quantum vero caussas rimatur physicas, utique contentus esse hac explicacione nequit. Tunc enim explicandum denuo est ad leges physicas, quare sal iunctum metallicis corporibus fortius stimulet. Tum concludemus, ad stimulum requiri immediatum contactum, sub contactu vero corpora cohaerere, hinc si fibras stimulare debeat particula quaedam, eam cum fibra cohaerere debere. Concludimus porro, eo maiorem esse actionem, quo cohaesio maior est; cohaesionem vero esse eo maiorem, quo plura dantur puncta se contingentia. Hoc vero fieri vel si figura ita sit comparata, ut contactus in pluribus punctis sit possibilis, vel si gravitas specifica fuerit maior. Cum itaque in metallis gravitas specifica sit maior, concludimus, salia metallis iuncta magis irritare, quia plus cohaerent ob gravitatem metalli specificam. Hic nihil assumentum est praeter physicas leges, nihil de legibus medicis adiectum. Differe itaque utraque actio quoad materiam, quod medice ex iis legibus explicetur, quas ex observatione stabiliverunt Medici, physica contra ex solis legibus physicis.

§. XXXI.

Verum non quoad materiam tantum differunt haec actiones, sed si ad earundem quoque attendamus explicationem, differunt secundo quoad *scopum seu finem*. Si medice actio aliqua explicetur, id tantum volumus, ut de actione quadam certi simus, eam non

non deberi coeco aliquo casui, sed eam necessario fieri ex iis legibus, quas continua experientia iam veras esse probavit. Hoc ut eo reetius intelligatur, ponamus hypochondriacum aliquem, cui ventriculus acida faburra oppletus sit; huic si maior detur quantitas absorbentis tenerioris, hoc iunctum acido mutabitur in naturam salis medii, irritabit intestina, alvum ducet. Potest itaque fieri, ut absorbens alvum laxet. Si iam ad actionem hancce medicam non attendas, neque modum agendi habeas perspectum, tunc aut ignorabis, quare absorbens in quibusdam subiectis laxantem virtutem exserat, aut existimabis absorbentia per se ad classem laxantium esse referenda. Si vero medicam huius medicamenti actionem perspectam habeas, intelliges facile rationem, quare in hypochondriaco & non in alio alvum ducat, & quomodo id fiat. Fit itaque hoc modo tutior praxis & sic distinguitur a rationali Medico circumforaneus & empiricus, qui quidem fando audivit, purgare, vomitum ac sudorem efficere hoc medicamentum, sed quare illud sic & non aliter operetur, ignorat. Physicam contra si attendas actionem, practicum huncce scopum non habes, verum ut de aliis rebus, ita quoque de hac medicamentorum actione, philosophicam cognitionem ultimarum caussarum habere cupis. Scopus itaque Physici ut in aliis huius scientiae conaminibus, ita hic quoque est tantum solidior cognitio, indeque orta in animo voluptas.

§. XXXII.

Pater ex iis, quae §. antec. dicta fuere, utriusque

32 *De differentia actionis medicamentorum*

que actionis considerationem quoque differre *tertio*,
si utilitatem spectemus. Practici Medici scopus est,
ut, ex intellecta actione medicamentorum medica,
cum ratione ac prudenter usum eorum administret.
Quid enim excogitari potest magis absconum, quam
si is, cui vitam tuam atque sanitatem tradis, ea exhibeat,
de quorum operatione non aliter, nisi empirice
aliquid intellexerit? Neque enim mutare poterit
vim medicamenti talis Medicus, neque si alias,
quam expectaverat, provenerit eventus, quid faciendum sit intelliget. Hoc ut eo rectius pateat, illu-
strandum erit exemplis. Fac Titio cholericu, ma-
xime irritabili, porrigi remedium vehementer pur-
gans ab empirico. Hoc Titio alvum non nisi cum
multa molestia ducet; spasmos enim excitabit ni-
mis vehementes, hinc constricta intestina exitum ex-
crementis difficilis concedent, e contrario tormina
orientur, anxietates & similia symptomata. Quid
aget bonus empiricus? Ignorat purgantia per irri-
tationem agere, hoc tantum novit, alvum inde vehe-
menter duci. Dum itaque eventus non respondet
eius opinioni, novam exhibet purgantibus dosin illam-
que maiorem & vehementius agentem priori.
Spasmi inde fient maiores, orietur inflammatio, to-
tius corporis vehementissima convulsio, quam exci-
piet intestinorum sphacelosa corruptio & tandem
mors. Ad eundem ex assumento cathartico aegrum
tempestive accedens rationalis Medicus, modum
actionis purgantium non ignorans, facile intelliget
caussam non rite succendentis operationis in nimia
quaeren-

quaerendam esse irritatione, a purgante medicamento excitata, indeque pendente spasmo. Hinc non modo hosce spasmos novo dato purgante non augabit, sed datis potius relaxantibus minuet, & sic in summo vitae periculo versantem talem aegrum ex orci veluti faucibus eripiet. Eidem cholericu homini si diaphoresin movere quis conetur, datis volatilibus & sanguinem quam maxime commoventibus, tantum abest ut sudor inde concitetur, ut potius aestus aridus, imo inflammatoria febris inde ori possit. Irritando enim nerveas vasorum sanguiferorum tunicas agunt talia sudorifera volatilia; hinc in cholericu subiecto spasmum efficient, claudentem poros & orificia vasorum externa, a quo minuitur transpiratio, sudor impeditur, & aridus producitur aestus. Tali subiecto, si novo exhibito similius diaphoretico sudorem extorquere coneris, nae tu loco sudoris vel inflammationem, vel plenariam sanguinis resolutionem accelerabis, cum morte subsequente; cum e contrario temperantia, leniora antispasmodica, nitrosa ac sanguinis aestum atque commotionem minuentia, sudorem facillime sub his circumstantiis producent. Patet & hic, ignorantiam actionis medicamenti medicae periculi esse plenam, ac perversam & sanae rationi contrariam producere ipsius aegri tractationem. Usus itaque cognitae actionis medicamentorum medicae in praxi quoque clinica est amplissimus. Physica vero actio non tam arte cum praxi medica coniuncta est, neque eius ignoratio tantum alit periculi. Quamvis

E

enim

34 *De differentia actionis medicamentorum*

enim negari non possit, non omni usū práctico de-
stitui hanc quoque cognitionem, fatendum tamen
omnino est; primarium & principalem usum esse
tantum theoreticum. Cognoscimus nempe legum
physicarum adplicationem, perspicimus inde; homi-
nem aequē esse obiectum Philosophi, quam aliam
quamcunque partem mundi, & mutationes in eodem
evenientes eodem vel simili modo posse demonstra-
ri, quo id de aliis corporibus demonstrari potest.
Fit inde, ut cognitio nostra philosophica non solum
augeatur, sed ut voluptas quoque maior fiat, ex ve-
ritate cognita semper in nos redundans.

§. XXXIII.

Tandem *quarto* utraque actio eiusque cogni-
tio quoque differt ratione *necessitatis*. Cum utilitas
enim cognitionis medicinae medicamentorum actio-
nis in praxi quam latissime pateat, uti hoc §. antec.
demonstratum est, facile intelligitur, eam práctico
rationali Medico quam maxime esse necessariam.
Dolendum hinc est, quod haec medicinae pars ut-
plurimum tam negligentiter tractetur ab iis, qui exi-
stiment totum medicinae ambitum absolvi tribus vel
quatuor obscuris vocabulis, & paucis schedulis for-
mularum, quas non magis intelligunt, quam psitra-
cus edicta vocabula. Qui hanc sane actionis medi-
camentorum rationem non intelligunt, non merentur
Medicorum sanctum nomen, sed empirici sunt,
non magis aestimandi, quam quivis circumforaneus
aut agyrrta. Quod vero physicam medicamentorum
actio-

actionem attinet, quamvis ea utilis sit **Medico**, illum-
que ornet, eius tamen necessitas, si practicam spe-
cetes cognitionem, non tam absoluta est. Non ta-
men id volo, negligi posse physicas doctrinas ab eo,
qui accedere ad Hygeae sacra cupit, sed hoc tantum,
Physices, ad actionem medicamentorum cognoscen-
dam, usum non tam late patere in praxi medica,
quam earum legum, quas attenta & constans obser-
vatio medica demonstravit.

§. XXXIV.

Duo adhuc mihi monenda sunt, anteaquam si-
nem huic tractationi imponam. Primo patet, Medi-
cum practicum non ideo contemendum esse, quod
rationem de physica medicamentorum actione red-
dere nequeat, si modo medicam actionem non igno-
raverit. Cum enim, uti §. antec. demonstratum est,
cognitio medicae actionis in praxi maioris sit utilita-
ris, patet, de hac potissimum sollicitum esse debere
eum, qui praxi medicae totum se tradere cupit. De-
inde iis quoque respondendum, qui plane omnem
physicam expositionem actionis medicamentorum
respuentes, eam nullius usus esse, & proinde negli-
gendam, affirmant. Praeter generalem usum enim,
quem iam §. XXXII. demonstravimus, practicus
quoque usus possibilis est, si modo accuratius, quam
huc usque factum est, leges physicae applicentur.
Hoc ut eo intelligatur plenius, generaliter tenen-
dum est, omnem cognitionem theoreticam eo re-
ctius esse ad praxin applicabilem, quo est accuratior.

36 *De differentia actionis medicamentorum &c.*

Ordinaria vero nostra cognitio nondum eum acci-
rationis gradum adepta est, qui ad practicam appli-
cationem requiritur. Hinc ii, qui cum Medicina
Physices penitiorem coniungunt cognitionem, sum-
ma ope in id incumbere debent, ut hanc partem fa-
lutaris huius scientiae magis magisque excolant per-
festamque reddant. Sed hic oportet non figurantis
suis fidere, non adhibere ad actionum medicamen-
tosarum explicationem vires, quae non nisi in cere-
bro existunt, sed experientia hic semper consulenda;
ad hunc veluti lydium lapidem revocanda omnia,
ne in errores abripiamur & praecipites nos ipsos de-
mus.

§. XXXV.

Et haec quidem haetenus *de differentia actionis
medicamentorum medicae & physicae* dicta sufficient.
Optandum tamen esset, ut uberioris quoque, quam
mihi per angustos hos Disputationis limites licuit,
utriusque actionis natura explicetur, & pluribus il-
lustretur exemplis. Vastus hic patet e tota materia
medica campus, quem iis relinquimus, quibus plus
otii est, quique accurata ad hanc rem necessaria che-
mica, medica & physica cognitione instru-
ti sunt.

T A N T U M.



NOBL.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
HENRICO DE ROY

OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM

IO. IVNCKER.

Vere omnino & memoratu digne CELSVS eloquitur:
Non post rationem Medicinam inventam, sed
post eam inventam, rationem demum quaesitam
fuisse. Quando enim ad omnium actatum historiam respi-
cimus, nulla difficultate edocemur, experientiam praecessis-
se, rationem autem fuisse consequatam. In primis vero hoc
valet de origine pharmacorum: siquidem barbari plus ad
augmentum medicaminum contulerunt, quam temporum
omnium scholae. Recentiores autem in eo sedulo occupati
fuerunt, ut de remediorum indeole, usu, adhibendi modo &
operationibus in corpore humano rationem invenire & red-
dere possent. Quodlibet quidem horum momentorum suas
habuit difficultates; prae aliis autem operatio medica-
mentorum multum negotii fecit & excellentiora quoque in-
genia mirifice fatigavit: haec enim tot miris phaenomenis
circumdata est, ut quaevis fere explicationes, etiam si do-
ctissime excoigitatae fuerint, tamquam vexata dubia veliti-
bus & prelis etiamnum premantur. Evidem non est mibi
animus, neque praesens scribendi ratio permittit, ut in hunc
campum longius excurrere velim; unicum tamen paullisper
rimari & eruere conveniet. Videlicet quum plurimi in ea
re omnem nervum intenderint, ut ex medicamentorum na-
tura, seu physica corum qualitate, omne negotium explica-
rent,

rent iudicantes, singula corporis attributa ex illius essentia fluere, ideoque etiam remediorum effectus ex qualitatibus partium constituentium derivandos esse, tum quidem a vero non prorsus erravunt: omnia enim medicamenta efficaciam physicam, principiis suis respondentem, in corpore omnino ordinarie exserunt; nibilo tamen secius luce clarius est, eam vim multo esse inferiorem ad explicandos illorum effectus, quos unanimi concordia ab auctoribus testatos reperimus. Quis enim defectum physicae explicationis negabit, si centies centiesque relatum legit, pharmaci exiguum quantitatem ansam dare, ut magna & a mathematica proportione plane aliena moles materiarum moveatur? Immo manifestius hoc sit, si perpendimus, remedii actionem non raro absque contactu in locis remotis contingere, tanquam celeritate fieri, ut omnem conceptum superet. Et, quod maximum atque paradoxum videtur, unum idemque medicamentum, in uno eodemque subiecto ac morbo, diverso tempore effectus plane diversos & qualitatibus suis physicis contrarios producere solet. Haec itaque longe superiorem, quam pure physicam, supponunt caussam: quae vero illa sit, tot fere sunt sensus, quot capita Medicorum. Quare quae TUA, CLARISSIME CANDIDATE, in hac re fit sententia, ex ipsa Dissertatione legere cupio. Rubri omnino inscriptio (nigrum nondum vidi) promittit non solum physicam, sed & medicam actionis medicamentorum explicationem: itaque ominor, TE in ardua hac materia non vulgariter modo disputaturum, sed earum veritatum, quae quotidie fiunt, bene memorem, triviales speculationes rejecturum, veritatesque rationum iudiciose demonstraturum. Caeterum cum gaudio memini TE, CANDIDATE NOBILISSIME, diligentem auditorem fuisse privatissimarum in praxi clinica exercitationum, in quibus frequentem occasionem habui-

habuisti ad operationes medicamentorum observandas.
Quare ex ea quoque ratione spero, te in Tua Dissertatione
quaevis bona nobiscum esse communicaturum. Supereft,
ut laetabundus tibi de studiorum egregie peractorum fine
& praemio ex animo gratuler. DEVS optimus maximus
te semper incolumem ac sospitem servet, TVISQUE labori-
bus & functionibus benigne concedat, ut quaevis conamina
ad DEI gloriam proximique utilitatem valeant. Dabam
die VII. April. MDCCLIV.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

Jametsi haud exiguus Medicorum reprehenditur nu-
merus, qui in exponendas medicamentorum virtu-
tes multum studii opera eque contulerunt; siquidem
luculenta de viribus medicamentorum commentaria in
omnium manibus versantur: perplura tamen supereffe ad-
huc videntur, quae non de singularibus solum remediis, sed
de omnibus quoque vel generatim spectatis medicamentis
eorundemque viribus haud incongrue moneri disputarique
possunt. Cuius generis materiem, dignam TVA, DO-
CTISSIME CANDIDATE, facultate Tuaeque eruditio-
nis copia, emodate explicatam illustratamque eae mandasti
commentationi, quae, ex antiquo ritu, ut profectuum Tuo-
rum, in salutari scientia acquisitorum, specimen constitue-
ret, a TE erat in publicum prodenda. Neque, quam eru-
dite conscriptum iri speraveram Dissertationem, speravi
fru-

frustra: sed vidi potius, TE prolixè meae satisfecisse exspectationi. Fuit autem haud exigua haec apud me animi ingeniique TVI exspectatio, quam in indecessò studio medicas noscendi perdiscendique scientias nemini TE esse posse-rendum viderem. Quanta cura, quantaque cupiditate aliorum huius Academiae Doctorum präelectionibus profi-
re studueris, facilissime ipsorum testimonio confirmatum dari posset. Quas & ipse prälegi explicuique medicinæ partes, ea attentione eoque studio haustissi, ut hac ipsa re neminem auditorum meorum passus fueris priorem. Huc accedit singularis TVAE hic peractæ vitæ laus, quod semper, quid verum atque decens sit, curaveris, & in eodem fueris totus. Quam ob rem honores, qui TIBI mox conferentur, ex ani-
mo gratulatus, cetera quoque omnia, quaecunque TIBI ac-
cident, feliciter eventura auguror, & ad hanc volo, ut gra-
tam iucundamque mei memoriam serves sempiternam.
Vale. Dab. Halae Magdeburgicæ, d. XXX. April.
MDCLIV.

PRAENOBISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CANDIDATO

S. P. D.

IO. PETR. EBERHARD,

MEDIC. ET PHILOS. DOCTOR,

HIVVSQVE PROFESSOR PVBL. EXTRAORD. IMPERIALIS
ACAD. NAT. CVRIOSORVM SODALIS.

Quanta sit medicæ scientiae dignitas atque prä-
stantia, ii demum intelligunt, qui solidam eiusdem
cognitionem sibi comparare conantur. Animad-
vertunt bi, non sufficere, ut quedam medicamenta perspe-
cta habeas, aut formulas quasdam memoriae mandes, sed ut
machi-

machinae humanae nexus perspicias, ut corporum extra te
positorum vires & agendi modum non ignores, ut denique
morborum non historica modo, sed & philosophica instructus
sis cognitione. Non defuere quovis tempore, qui, Medicinam
nam alto despiciens superciliosus, eam ne scientiae quidem no-
mine dignam iudicaverunt. Nota sunt CARDANI & Corn.
AGRIPPAE iniqua de divina hac scientia iudicia. Imo ne
recentioribus quidem temporibus defuere, qui cum SCHEL-
HAMERO scientiae titulum ei denegarunt. Sed facile ani-
madvertimus, non veram Medicinam, sed spuriam a bonis
hunc viris intelligi, qua absque ulla corporis nostri, vel alio-
rum corporum cognitione, paucis quibusdam formulis in-
structi, ad aegrorum leitos advolant nonnulli, & ignorantia
sua efficiunt, ut non modo ipsi contemtui sint prudentibus, sed
& scientia, quam profitentur. Egregie hoc perspexit, PRAE-
STANTISSIME CANDIDATE! binc omnes vires eo di-
rexisti, ut penitorem TIBI comparares rerum medicarum
cognitionem. Pharmaciae atque Chemiae studium, Medico
tam necessarium quam quod maxime, per plures iam annos
professus es. Ad ipsam dein proprius accedens Medicinam,
non neglexisti Anatomen, Physicam, & reliquas scientias,
quibus carere is nequit, qui genuinam corporis sui cognitio-
nem acquirere conatur. Frequentasti praeterea summorum
in arte nostra virorum scholas, ea diligentia, ut dignus iam
babearis, cui summi in Medicina honores conferantur. Affi-
diuum ego quoque te babui in physicis, physiologicis & medi-
cis scholis meis auditorem, eoque magis TIBI iam gratulor,
quos iam assequeris praeclarae TVAE diligentiae fructus,
quo certius, ex quo te novi, persuasum mibi fuit, talem te
futurum, quallem iam te nobis sis. Vale VIR DOCTIS-
SIME! & me quod facis ama. Dab. in Reg. Frider. d.
XXX. April. MDCCCLIV.

3421

F

PRAE-



PRAENOBILISSIMO
DOMINO DOCTORANDO
DISSERTATIONIS AVCTORI DOCTISSIMO

S. D.

CAROLVS GVILIELMVS SCHVLTZ,
MEDICINAE CANDIDATVS,
PERLEBERGENSIS PRIGNITIA-MARCHICVS,
OPPONENS.

Jn publicam prodis arenam, AMICE AESTVMATIS-SIME, unde victoriae praemium, insulam Medicis sacram, reportabis; ego vero te sequor, herbam, vietus, tibi porrecturus, Et quod acerbius est, te amicum integerimum simul amissurus. Tam diversus erit certaminis nostri exitus: TIBI laetus, mibi continget adversus. Ast quoniam mihi accidit, quicquid acciderit; suis autem incommodis graviter angui non amicum, sed se ipsum, amantis est: cedo postulationibus TVIS, honore TVO calamitatem meam solans. Sed licet sciam pro certo, te palmam obtenturum esse, cave tamen eridas, fore ut eam citra pulveris iactum consequaris: desperans de victoria, eo audieris ibo contra. Videbis igitur, ut adsis bene armatus. Quo acrior enim est pugna, eo nobilior, quae sequitur superiorem, est gloria, quam TIBI, ut debeo, vere gratulor. Tria adhuc restant, quibus additis, faciam scribendi finem. Primum precor benignissimum Numen, ut honorem TVVM, redditum in patriam & labores velit fortunare; deinde TE oro enixe, ut me TVI amantissimum amare pergas; ad extremum, TIBI persuasissimum habeas velim, nec ullam vetustatem, nec locorum dislantiam, gratam TVI memoriam unquam ex animo meo esse deleturam. Ita vale, meique memor, vive feliciter. Dabam Halae ad Salam in Frideriana, d. XXIX. Aprilis MDCCCLIV.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ET ORNATISSIMO
DOMINO CANDIDATO
DISSERTATIONIS AVCTORI DOCTISSIMO;
AMICO AMICORVM OPTIMO

S. P. D.

CHRISTIANVS CONRADVS LEISSNERVS,
ALTONENSIS-HOLSATVS, OPPON.

Hic omnia quum sint communia, sane & ego maxime eximiam mutuae laetitiae partem mibi vindicaturus, hancce occasionem ambabus, quod aiunt, manibus apprehendi, tibi, CANDATE DOCTISSIME, AMICE IVCVNIDISSIME, basce litteras, quantumvis incomptas, exhibendi, tesserae instar, amorem erga te nostrum luculenter demonstraturae. Proinde acceleratus hancce ad te epistolam deproporo, ut & meo satisfaciam officio, & dulcem istius gaudii sensum, qui intra meum contineri sinum nescit, tecum communiceam. Videor mihi felicissimus esse, quandoquidem in te talen naectus sum amicum, qualem fors benignior vnuquam mibi dare potuisset. Miratus subinde, quod citra omnem fucum dixerim, & impense quidem miratus sum, quam non semel conspicuam fecisti, egregiam in curandis aegrotis dexteritatem. Est quod laudabilem hunc habitum, si ab aliis Viris eruditissimis discesserim, acceptum feras Practico cuidam celeberrimo, quo per sexennium familiariter es usus. Obsupui insuper insatiabilem TVVM in dies proficiendi ardorem, veneratus TVAM virtutem ab omni simulatione longe remotissimam. Sic indefessam TVAM industriam honoribus decentissimis nostra coronat Hygea. Gratuitor TIBI summos iustos honores, gratulor patriae nostrae talem Virum, quem amplexu suo sovebit ac tuebitur. Nae TVAE felicitatis incrementa certo certius TE exspectant! Age igitur, CANDATE DOCTISSIME, fac, veritas triumphet & virilix redeat bello. En denique vota, quae ex sincerrimo corde fluunt ardentissima! Praesto sit TIBI Deus O. M. TVAque conamina in sui gloriam patriaeque salutem cedere inbeat omnia. Macete virtute TVA, AMICE SVAVISSIME & me quod facis, ama. Vale. Dab. Halae Magdeburg. d. XXIX. April. MDCCCLIV.

Sic



Sic tandem voti compos nunc factus, honores
Dum iusti dantur promeritique **TIBI**.
Tu Cultor solers pernobilis illius artis,
Quae vim morborum frangere rite docet,
Ut **TIBI** perspectas, non vana securus, haberes
Morborum curas, haec **TIBI** cura fuit;
Aegrotis igitur si quid medicamina profint,
Artis & auxilii si quid Hygaea sciat,
Si mors non pulser portam, si vis sit in herbis,
TV morbos pelles, auxiliante DEO.
Gratulor ergo **TIBI**, Patriae quoque gratulor ipsi,
In quam nunc eius spesque decusque redis.
Nec potuit quicquam mea gaudia iusti morari,
Dum **TIBI** nunc video praemia digna dari,
Dum video Musas **TIBI** laurea ferta parare,
Hisque **TVAM** frontem condecorare volunt,
Sic etiam porro **TIBI** sint felicia cuncta!

Haec precor, haec opto. Me quoque semper ama.

Haec pauca Clariſſ. & Doctiſſ. DN. CANDI-
DATO amicitiae & memoriae cauſa gra-
tulabundus adſcripsit

E. RASMVSEN,
Danus, Iur. Stud.

Quod DEVS verat bene! nunc Amice!
Dant **TIBI** Musae meritos honores
Et **TVI** fructus capies laboris,
Quos dat Hygaea.
Prosperet Numen medicamen omne,
Quo velis morbis miseris mederi,
Ipſe sis felix, **TV**A fama crescat,
Memet amaque.

His paucis Nobiliss. ac Doctiſſ. DN. DOCTO-
RANDO, Amico aetumatiſſimo, gratula-
tur ſequi ulteriori amicitiae commendat

NICOLAVS ESMARCH,
Medic. Cult. Schlesvicensis.



01 A 6543




56. P

V018KA12



Farbkarte #13



B.I.G.

LIBRIO IN AVGVRALIS MEDICA DE DIFFERENTIA MEDICAMENTORVM AE ET PHYSICAE

QVAM
VSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
ATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
RAE S IDE
CELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
A ELIA BVCHNERO
OMANI IMPERII NOBILI,
RVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
PHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
ADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
COMITE PALAT. CAESAREO,

RADV DOCTORIS
EDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
GITIME IMPETRANDIS,

MAII A. S. R. CLOCCCLIV.

A REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

RICVS DE ROY
ALTONENSIS.

AE MAGDEBURGICAE,
HRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.